rem: nam si per errorem adierint Prætorem pro Præside; non videntur consensisse in Prætorem, & decretum interpositum nullum erit. Sed tunc difficilia sunt illa verba: *Nec ferendus est qui dicat eos in Præsidem consensisse, &c.* Si enim aditus per errorem non Præses, sed Prætor fuit, ut ait Ulpianus *in prine.* ibi: *Si per errorem alius pro alio Prætor fuerit aditus*, quomodo postea inquit eos in Præsidem sensisse? Cujacius *ubi sup.* difficultate superatus textum emendat, & legit, *in prætorem consensisse*. Jo. Bertrandus *ubi proxime, d. fol.* 91. omisso Cujacio existimat, rejiciendam, & expungendam esse dictionem *alio*, ut legatur, *si per errorem alius pro Prætore fuerit aditus*. Quintanadvennas *ubi sup. n.* 11. docuit, in eo textu exaratam fuisse eam dictionem illis notis *P. R.* quibus Prætor significabatur; & librarios falso inde extulisse Præsidem. Sed mihi videtur, prædictos perdoctos sane juris interpretes, membro sano medelam adhibuisse. Retenta ergo vulgari lectione, textum ita exponendum existimo. In prima parte responsi, quæ extat *in d. l. magis*, §. *illud*, egerat Ulpianus de tutoribus, qui adierunt alium judicem pro alio, ut interponeret decretum in alienatione rei pupillaris scienter; & respondet, alienationem valere sub prædictis duabus conditionibus. Tunc prosequitur, si per errorem alius pro alio, ut pro Præside Prætor fuerit aditus, non valebit quod actum est: quia non potest dici, eos consensisse in Præsidem, qui debeat adiri, cum Prætorem per errorem adierunt. Non ergo illa generalia verba, *alius pro alio*, referenda sunt tantum ad Prætorem, ut *in l.* 2. *ff. de jud.* sed ad judicem, qui decretum in tali alienatione interponere valebat, videlicet Præses pro Prætore, vel econtra, & tunc recte docetur, non valere quod actum est, quia non potest dici consentire in Præsidem, qui adeundus erat in alienatione prædii minoris provincialis, cum tutores adierunt Prætorem. Et hæc, ni fallor, est vera mens Ulpiani. Sed adhuc instabis, & valide, oratione Severi cautum fuisse, ne alienarentur prædia minorum sine solemnitate, & decreto Prætoris, quæ erant mancipi: ad prædia autem in provinciis existentia, quæ erant, nec mancipi, oratio Severi non spectabat, ut agnoscit Revardus *ad l. Scrib. & pro Tribun.* igitur Præses numquam adiri poterat ad hujusmodi alienationem. Cui difficultati duplici via satisfieri potest; vel supponendo, illa prædia, etsi provincialia, esse eorum quibus jus Latii concessum erat, unde etiam mancipi habebantur: vel accipiendo Præsidem in eo textu non stricte, & specifice pro Præside provinciæ, sed pro Proconsule, qui æqualem auctoritatem ac Romæ Prætor habebat, & sic tutorem adisse pro Prætore Procunsulem. Illud etiam observandum est circa consensum ad prorogationem jurisdictionem desideratum, in eo debere persisti usque ad litis contestationem, *l. si convenerit* 18. *ff. de jurisd.* quam exposui *in c.* 1. *de judiciis*.

7 De causis prorogationis. Hæc prorogatio jurisdictionis, aut fit de persona ad personam, de re ad rem, sive de tempore ad tempus: aut de loco ad locum: ex quibus quatuor prorogationis modis duo priores certo jure nituntur, *l. est receptum* 14. *& seq. l. si convenerit* 18. *ff. de jurisd. l.* 1. *&* 2. *ff. de judic. l.* 1. *&* 3. *C. de jurisd. l. inter* 28. *ff. ad munic.* Circa duos vero posteriores modos, videlicet de loco ad locum, & de tempore ad tempus, non absque ratione dubitant Interpretes. Et prorogationem admitti, ita ut ejus virtute possit judex in alieno territorio judicare, docuerunt communiter DD. *in leg. ult.* ubi Zasius, *ff. de just. & jure*. Sed hanc sententiam alienam esse a ratione juris docuerunt *in leg.* 2. *ff. de jud.* Bartolus *in prine.* Baldus *n.* 7. Salicetus *in l.* 1 *C. de jurisd. n.* 5. Olualdus *ad Donel. l.* 17. *c.* 9. *lett. F.* Arnold. Vinius *li.* 1. *select. c.* Quæ doctrina probatur ex eo, quia certum est, Magistratus extra suam Provinciam privatorum jure censeri, *l.* 3. *d office. Præsid. l. ult. ff. de jurisd.* sed privato tribui jurisdictio consensu litigatorum non potest, *l.* 1. *ff. de jud. l.* 3. *C. de jurisd.* Igitur consensu litigantium non potest de loco ad locum prorogari jurisdictio. Prosequitur alias rationes Vinius *ubi sup.* Circa prorogationem vero de tempore ad tempus, æquale etiam Interpretum dissidium invenio; illi enim qui docuerunt, prorogationem jurisdictionis admitti de loco ad locum, etiam admittunt eam de tempore ad tempus, meo auctoritate textus *in l.* 2. §. 2. *ff. de judic. l. de quare* 74 §. 1. *ff. de re jud.* Sed contrariam sententiam, imo hanc prorogationem a Consultis incognitam fuisse, docent Olualdus *l.* 17. *Donelli, c.* 10. *litt. P* Vinius *ubi sup. c.* 4. Nec contrariæ sententiæ favet textus *in l.* 2. §. 2. *ff. de jud.* nam in eo nullo modo agitur de jurisdictione proroganda, sed tantum loquitur Ulpianus de prorogando tempore, intra quod judex datus, qui nudam tantum notionem, non jurisdictionem habet, *l.* 5. *ff. de re judic.* jussus est litem aliquam sibi commissam dirimere, hoc enim tempus cum solo partium favore intelligatur adjectum, etiam earumdem expresso consensu prorogari posse rationis est. Nec etiam facit pro contraria sententia textus *in d. l. ve quare*: nam in ea tantum asseritur, judicem, cui usque ad certam summam judicare juseit, etiam de re majori judicare posse, si inter litigatores conveniat. Quæ Consulti sententia potius ad prorogationem de re ad rem, quam ad casum prorogationis de tempore ad tempus, spectat, ut confidetur Vinius *d. c.* 5.

8 Verumtamen præmittendum est, nonnunquam specialem jurisdictionem attribui favore ipsius Magistratus, nonnunquam subditorum, nonnunquam ram Magistratus, quam subditorum gratia. Favore Magistratus attribuitur jurisdictio, quando ejus auctoritas primo, & principaliter inspicitur, & contemplatur. Exemplum ex at *in novella* 15. *de defensoribus civit. c.* 3. *in fine*, ubi Justinianus defensoribus civitatum indulsit jurisdictionem voluntariam, aut si mavis, legis actionem, in testamentorum apertura, insinuatione donationum, & similibus: & infra trecentos solidos, omnem absolutamque jurisdictionem, & a Præfidibus provinciarum independentem, non valentibus subditis similes causas coram Præsidibus disceptare, ut inquit textus. Ex quibus verbis aperte deducitur, in contemplatione esse auctoritatem Magistratus potius, quam commodum subditorum. Ex quo infertur, privatorum voluntatem in fraudem defensorum alienam jurisdictionem prorogari non posse. Hoc loco magno cum judicio usus fuit Ludovicus Romanos *consil.* 393. & *singul.* 21. in casu emergenti inter civitatem Senensem, & Castrum de Burtigano. Castrum appellat Lexiam, Papiæ oppidum, Castellum oppidum; ex quo, & ex novella 128. Just. notavit Cironius *ad c. ult. de jud. in* 5. *comp.* & Alii Auctores onomastici infimæ Latinitatis. Concordia inquam, inita fuit, ut omnium causarum criminalium decisio spectaret ad Senensem Potestatem, causæ vero civiles relinquerentur terminandæ Justitiario Burtiganensi absolute, & independenter. Interrogatus, an cives, sive incolæ Burtigani rei conventi possent privata voluntate in civilibus prorogare jurisdictionem Potestatis Senensis? Respondit non posse, quia prædicta concordia non favorem civium, sed Magistratus respexit. Hanc Romani doctrinam aliis laudatis merito commendat Narbona *in concord. famil. glossa* 21. *n.* 15.

9 Aliud exemplum desumi potest ex authentica *habita, C. ne filius pro patre*, in qua speciale forum scholasticis attribuitur pro speciali favore, quo digni sunt; ut verba textus denotant. Igitur e converso cum in attributione hujus fori inspecta non sit nisi secundario, & minus principaliter auctoritas Magistratus, consequens est, & concors omnium Doctorum sententia, posse scholasticos propria, privataque voluntate alieni Magistratus jurisdictionem prorogare, *l.* 7. *tit.* 31. *p.* 7. docent post Bart. Bald. Salicertum, Glosam & Speculatorem, Carleval *d. tit.* 1. *disp.* 2. *n.* 492. noster Escobar *de Regia & Pontif. jurisd. c.* 27. licet dissentiat cum aliis D. Olea *tit.* 2. *q.* 4. *ex n.* 63. Tertium exemplum commode sumi potest ex nostro textu, si ipsum ex ratione metiamur, quæ movit nostrum Gregorium. Planum est, clericum judicis secularis jurisdictionem prorogare non posse, cum sit incapax jurisdictionis in Ecclesiasticos, *c. decernimus* 2. cum aliis, *de jud.* Quæritur utrum alius judicis ecclesiastici incompetentis possit jurisdictionem prorogare? Jure antiquo potuisse, *ex c. dilecti, de jud.* secundum ejus integram, cessat recte Cironius *ad tit. de transl. Epis. & ad tit. de judiciis.* Nihilominus Pontifex clericis prohibuit, ne possent alieni judicis ecclesiastici prorogare jurisdictionem. Expedit quippe, ut unusquisque pastor oves cognoscat suas, eumque ipse cognoscant, & vereantur, ne detur discessum confusio. Qua de causa sancitum fuit in præsenti, ut sine propria Episcopi licentia, aut permissu aliam jurisdictionem clerici non possent prorogare; quamvis enim ecclesiastica jurisdictio favorem totius status respiciat, tamen negari non potest etiam auctoritatem Prælatorum in ea involvi. Quærimus tamen, utrum denegatæ prorogationis causa sit hic promiscuus favor, ut non possit clericus prorogare alienam jurisdictionem sine sui diœcesani consensu, quia etiam ipsius favor vertitur? an hæc sit ratio motiva hujus constitutionis, & formalis ratio sit prohibitio Pontificis? Et hanc esse propriam, & apodicticam rationem, illud mihi persuadet, quod ante ipsius constitutionem potuit; atqui nunquam negatum fuit, ecclesiasticam jurisdictionem, coercitionem, correctionem, non minus auctoritatem judicum respicere, quam commodum & specialem favorem subditorum: ergo hæc ratio ex se sola non impedit prorogationem, secluso prohibitione; in qua consentiunt Cironius *ad tit. de transl. Epis.* Vultejus *in d. l.* 1. *C. de jurisd. ex n.* 117. *&* 161. Olualdus *d. l.* 17. *c.* 10. *litt. N*, Greg. *in l.* 15. *tit.* 1. *p.* 7. *gloss.* 4. Quintanadvennas *de jurisd. l.* 2. *tit.* 6. *nu.* 27. & post Per. Barbosam, aliosque Narbona *in l.* 59. *tit.* 4. *l.* 2. *gloss.* 1. *nu.* 12.

10 Tradit. ratio decidendi. Quibus ita animadversis apparet jam vera ratio præsentis decisionis: nam omissis variis traditis a Mariano Socino *in pras. n.* 45. quas referunt, & refellunt P. Barb. *in l.* 2. *ar.* 3. *ex nu.* 180. *de judiciis*, Carleval *l.* 1. *de judic. tit.* 1. *disp.* 98. *sect.* 2. *n.* 179. dicendum est, clericum non posse, nec consentiente Episcopo, prorogare jurisdictionem judicis sæcularis: quia cum ille omnino incapax sit talis jurisdictionis, *c. at si clerici, c.* 10. *de judiciis*, ideo nulla est jurisdictio, quæ prorogari possit, nec etiam alterius judicis ecclesiastici prorogatio admittitur, quia Episcopus quilibet habet privatam jurisdictionem in proprios subditos, comparatione aliorum Episcoporum, *c. nullus, de parochiis, c. nullus, c. Primas* 9. *qu.* 2. confunderetur enim jurisdictio ecclesiastica, si invito proprio Episcopo liceret cuilibet clerico alienam jurisdictionem prorogare. Secundæ vero partis præsentis assertionis ratio ex eo provenit, nam cum prorogatio admittatur de persona ad personam, possunt laici propria auctoritate prorogare jurisdictionem judicis alieni, etiam ecclesiastici: quia judex Ecclesiasticus respectu laici non est incapax, sed incompetens, *c. si diligenti, hoc tit.* probant Martha *de jurisd. p.* 2. *c.* 6. Germonius *de sacr. immunit. l.* 2. *c.* 5. *n.* 65. sed cum Princeps sit fons, & origo omnis jurisdictionis, *l.* 1. *&* 2. *tit.* 1. *l.* 4. *recopil. l.* 1. *ff. ad l. Jul. de ambitu*, Covar. *pract. c.* 1. potest prohibere subditis, ne prorogent hanc, vel illam jurisdictionem, ut in præsenti textu fecit Pontifex. Unde infertur explicatio *ad leg.* 10. *&* 11. *tit.* 1. *l.* 4. *compil.* quibus speciali Principis jussione inhibitum est laicis ecclesiasticorum judicum prorogare jurisdictionem, si rei sint: quod si faciant, nullus est processus coram ecclesiastico fabricatus: Fiscalisque Regius nihilominus petere in Aula Auditorum potest, ut talis declaretur, causaque ad laicalem judicem remittatur. Unde fluxit stylus Curiæ, ut quando pars, quæ

quæ per viam violentiæ recurrit ad Aulam, a querela recedit, quam porrexerat, pertuleratque contra processum Ecclesiastici, sic a judicibus Regiis decerni debeat, frequentiusque decernatur: *Por apartado, no siendo auto de legos, o en perjuicio de la jurisdiction Real*. Quæ quidem leges Regiæ nec sunt contra immunitatem ecclesiasticam, neque contra illam jurisdictionem; quia in laicos reos, causisque mere profanis nulla ecclesiasticis judicibus competit jurisdictio, *c. novit* 13. *de jud. capite venerabilem* 34. *qui filii sint legit. t. solita, de major. & obed. extrav. unam sanctam, eod. tit. c. duo sunt quippe, c. si Imperator*, 96. *d.* cum similibus, *leg.* 14. *tit.* 1. *l.* 4. *compil.* Possent sane laici, si vellent, sistendo in terminis juris communis, ecclesiasticam jurisdictionem prorogare, & illudere sæcularibus Magistratibus, non ex jure, sed ex privatorum voluntate: hanc voluntatem irritat lex in materia mere temporali, quo facto absque ulla fraude Ecclesiæ, sine ullo odio jurisdictionis ejus, lex actum prævium præparantem prorogationem annullat, Sustinenda ergo est lex politica, quam omnes Christianæ nationes habent, ut de Gallia testatur Rebuffus *ad leg. Gallia, t.* 3. *tit. ut laici coram ecclesiasticis judicibus non conveniantur*: de Aragonia Joseph Sesse *de inhibit. c.* 9. §. 3. de Lusitania Pereyra de Castro *de manu regia* 2. *to. c.* 35. P. Barbosa *in leg.* 1. *de jud. art.* 3. *n.* 139. de Navarra Martin. Navarr. *consil.* 51. *sub hoc tit. de sent. excomm.* & indistincte de ejus justitia, aut justificatione, Vasquez, Menchaca *usufreq. c.* 14. *num.* 35. Frances *de compet. c.* 49.

Nec obstant difficultates supra expensæ. Non prima; procedunt enim juris principia in ea adducta in laicis jure communi prorogantibus jurisdictionem, ut late prosequitur Carleval *ubi sup.* ac in Clericis ex ratione supra adducta specialiter constitutum est, ut proprii Episcopi licentia ad judictionis prorogationem desideretur, alias notum est in prorogatione non aliorum, quam ipsorum litigatorum desiderari consensum, ac ne ejus quidem cujus prorogatur jurisdictio, nec denique judicis ordinarii, & competentis, utpote cui nihil hic admittur, *l.* 2. §. 1. *ff. de jud.* Vultejus *in l.* 1. *C. de jurisd. n.* 66. Nec augmentum difficultatis refragatur, quia licet expresse non possit Clericus judicis alieni prorogare jurisdictionem instio proprio Episcopo, tacite tamen contrahendo certo loco, aut destinando solutionem, recte illam facere valet, quia ipsa non nascitur ex mera voluntate, & consensu clerici prorogantis, sed ex juris dispositione, & assistentia; jus enim disponit, contrahentem, aut solationem destinantem certo loco, ibi fortiri forum, convenirique posse, ut supra probavi; unde cum ita contrahentes pro se habent juris assistentiam, non egent voluntate, aut consensu proprii judicis, ut docent Barbosa *disp. art.* 3. *n.* 222. Carleval. *ubi sup. n.* 183. Cæsar *de Eccles. Hierarch. disp.* 5. §. 2. *nu.* 3. Nec hoc est prorogare jurisdictionem, sed sortiri forum. Nec dici potest prorogatio, sed fori electio, seu mutatio, cum natura liceat unicuique domicilium mutare, & alibi contrahere, *l. in libello* 17. §. *manumittendo, ff. de captivis*: quare illi licet per contractum, aut solutionis destinationem forum mutare. Quod agnoscens Prudentissimus Philippus II. in pragmatica edita in favorem agricolarum, postquam illis prohibuit generaliter se alieno judici subjicere, quia satis prospectum per eam prohibitionem non erat, adjecit, nec solutionem debiti alibi destinare. Nec secunda difficultas adversatur, cujus solutio pendet ex illa quæstione supra agitata, utrum videlicet de loco ad locum detur prorogatio.

Huic commentario annectenda sunt, quæ adduxi *in cap. P. & G. de officio deleg.*

CAPUT XIX.

a Idem.

PRoposuisti nobis, quod quidam subditus tuus ad petitionem cujusdam adversarii sui a te legitime citatus ad causam, quia postmodum jurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porro tuæ prudentiæ dubium esse non credimus, quod is in prædicta causa jus revocandi forum non habet, quasi ab illo jam præventus.

NOTÆ.

1 a [Dem.] Gregorius videlicet IX. cui tamen rescripsit in præsenti, non constat: nam cum epistolis hujus Pontificis careamus, non facile lacunæ, quæ in ipsius decisionibus reperiuntur, suppleri valent.

COMMENTARIUM.

2 Tradit. conclusio. EX hac decretali communiter talis deducitur assertio: *Legitime citatus tenetur coram judice citante causam prosequi, non obstante privilegio superveniente*, Probant eam textus *in l. cum quædam* 19. *ff. de jurisdict. l. ubi accepium* 30. *l. si quis postea quam, ff. de judic. l. Ædiles* 25. §. *Item* 8. *ff. de edil. edict. l. tutor* 28. *l. ult. ff. de excusat. tut. l.* 4. *C. de jurisdict. l. ult. C. de veteran. l. ult. C. de in jus vocand.* quam ex Græco sermone in Latinum refert Cujacius *l.* 3. *observ.* Consonat lex 12. *tit.* 3. *p.* 3. Illustrant ultra congestos a Balboa, Barbosa, Vegas Kling, Garanna & Fermosino in præsenti, Cujacius & Cavallerius in hoc textu, Corrasius, Matheacius, & Zazius *in d. lib. pen. ff. de jurisd.* Cujacius, Amorinus, & P. Barbosa *in l.* 7. *ff. de judic.* Donell. *l.* 17. *comm. c.* 18. Faber *in rationali ad textum in d. l.* 7. Merillus *l.* 1. *observ. c.* 33. Vultejus *in l.* 4. *C. de jurisd.* Gailus *l.* 1. *observ. c.* 11. Carleval *de jud. l.* 1. *tit.* 1. *disp.* 2. *q.* 6. *sect.* 7. *n.* 635. Tondutus *de prævent. p.* 1. *c.* 27. *n.* 52. Cabedo *t.* 1. *decis.* 4. Anfald. *de jurisd. p.* 2. *tit.* 11. *c.* 15. Barbosa *in l.* 2. §. 3. *n.* 44. *de judic.* Marinis *l.* 1. *resol. cap.* 54.

3 Tradit. ratio dubitandi. Sed pro dubitandi ratione expendi potest sequens consideratio; nam si post litem contestatam non posset quis novum forum sortiri, nec liceret ei domicilium mutare: cum etiam ratione domicilii quis sortiatur forum, *c. fin. hoc tit.* sed licet cuicumque, etiam post litem contestatam coram uno judice, domicilium mutare, nisi illi interdictum sit, *l. nihil* 31. *ff. ad munic.* quæ est Marcelli, cujus etiam est textus *in d. l. idi* 30 *ff. de jud.* Igitur licet post litem contestatam forum mutare. Augetur hæc difficultas ex eo, nam novum non est, ex dignitate, aut officio postea superveniente statum mutari, quod probatur primo *ex l. hoc acciderit* 12. *ff. de accusat.* ubi Venulejus IC. respondit, Præsidem provinciæ, seu Legatum, de crimine per eum commissæ prius quam in legationem iret, accusari nequaquam posse. Secundo *ex l. Prætor* 12. *de vocat. & excusat. muner.* ubi habetur, quod qui sacerdotium nacti sunt, a civilibus muneribus, quibus antea nexi erant, liberantur. Tertio *ex l. non solum* 12. §. *qui primipilum, l. Syndicum* 17. *l. jurisperitos* 33. *ff. de excusat. tut.* ubi excusatio superveniens liberat tutorem a munere tutelæ, quo adstringebatur, & qui post delictum perpetratum clericus factus fuit, debet puniri per judicem ecclesiasticum, ut communiter docent Covarr. *practic. q.* 7. *n.* 4. Plaza *l.* 1. *de delictis, c.* 35. Petrus Carballo *t.* 1. *resol. cont.* 2. *casu.* 108. Jul. Clarus, Gratianus, Decianus, & alii, quos laudat & sequitur Tondutus Sanlegerius *p.* 2. *resol. tit.* 11. *c.* 15. *n.* 50. Igitur privilegium superveniens prodest reo etiam post litis contestationem.

Qua dubitandi ratione ita sulcita minime obstante, verum est, privilegium superveniens post citationem realiter factam, non eximere reum a jurisdictione jam præventa: & omissis quæ late tradunt Fermos. *in præf.* de citatione, & quando per eam inducatur præventio absque litis contestatione, Carleval *de jud. d. sect.* 7. de privilegio ex fraude obtento, a Principe concesso: præsentis decisionis ratio ex eo provenit, nam ubi, & quomodo est acceptum judicium, ibi finiri debet, *d. l. ubi captum*: & ad radicandum judicium attenditur tempus citationis, ut in eo causæ cognitio spectet ad jurisdictionem citantis: pluribus relatis docet Carleval *ubi sup. n.* 617. qui numeris sequentibus recte infert, cum qui propter privilegium citatus fuit coram certo judice, cessante privilegio, coram eo condemnari, aut absolvi debere, cum tantum attendatur tempus citationis. Accedit; quia ficut per citationem judici acquiritur jurisdictio *ex c. gratum, de offic. deleg.* ita & judicium radicatum est, ut dicemus *in c.* 1. *de litis contest.* igitur post radicatum judicium, etiam per privilegium superveniens mutari non debet.

4 Adducitur ratio decidendi.

Nec obstat dubitandi ratio supra perpensa; nam licet per privilegium superveniens non acquiratur novus forus, nec mutetur antiquus, per novum tamen domicilium, qui eum mutavit, novum forum fortitur: discriminis ratio ex eo provenit, nam non creditur aliquem rerum omnium ac fortunarum suarum summam transferre voluisse, ut judicium mutaret, ut communiter creditur, reum privilegium novum acquirere affectasse, ut forum antiquum evitaret, ut confiderat Merillus *l.* 1. *observ. c.* 33. Nec obstat difficultati augmentum deductum ex variis juris locis, in quibus docetur, ob privilegium superveniens dari excusationem a munere injuncto. Sum respondendum est, ea jura procedere, quoties nova excusationis causa superveniens est incompatibilis cum munere antiquo; tunc enim liberatur a pristino munere injuncto, quia non potest illud obire, dignitate postea adepta, latius prosequitur ipsorum textuum interpretationem Anfald. *de jurisd. par.* 2. *tit.* 11. *c.* 15. qui inde infert, & probat, sine fraude, & dolo sieris ordinibus initiatum, aut religionem professum, debere conveniri coram judice ecclesiastico, quia vere ordinatus reperitur, nec creditur judicii mutandi causa statum mutasse si vero ex fraude & dolo, animo tantum mutandi judicium reus ordinetur, contrarium observari ipse late resolvit. Unde familiares sancti officii Clerici, & ceteri privilegiati, si ante adeptam familiaturam, vel privilegium, seu clericatum, aliquod crimen perpetraverint, an puniri debeant a judice ordinario, an a judice privilegii, anceps quæstio est apud bonæ notæ Doctores. Placet cum distinctione componendam esse contrarietatem, scilicet quod si delinquens, cum dolo, & fraude adeptus fuit privilegium, familiaturam, seu clericatum, ad effugiendum forum judicis ordinarii, tunc non gaudet privilegio: si vero absque fraude & dolo, gaudet fori privilegio: & ad hanc quæstionem, & materiam vide Narbonam *in leg. recop. l.* 20. *tit.* 1. *l.* 4. *recop. gloss.* 21. *n.* 38. *cum seq. f. mihi* 374. Salgado *de regia protect.* 2. *p. c.* 22. *n.* 49. Covarr. *in pract. c.* 32. *n.* 4. Ant. Gomez *var.* 3. *t. c.* 10. *n.* 5. Gutierrez *pract. l.* 1.

5 Re potest. dissuadit.

4. 1. q. 5. n. 1. Bobad. *pol. l. 2. c. 18. n. 77.* Pailador. *l. 3. differ. 9. §. 1. n. 2.* Carleval *de judic. l. 1. disput. 2. q. 6. §. 3. n. 447. cum sequent.* & *q. 7. sect. 3. n. 907. 912. 924.* Cancer. *var. resol. 2. p. c. 1. n. 148.* Gratian. *discept. forens. discept. 126.* Noguerol. *alleg. 12. n. 30.* Parexa *de instrum. edit. l. 1. tit. 2. ref. 6. specie 2. n. 126. & 266.* Cabedo *1. p. decis. 25. n. 5. & 61.* qui etiam aliam distinctionem amplectuntur, videlicet an privilegium dimanaverit a Principe, an vero ipse impetraverit. Primo casu gaudere privilegio superveniente affirmant, secundo vero neutiquam.

6 Expo nitur l. si servum.

Adhuc præsenti decisioni opponitur textus *in l. si servum 5. §. si ex noxali causa*, ubi qui promisit servum in eadem causa judicio sisti, cum lis contestata esset super capite ipsius, ipsum manumisit, & sic jam liber factus in judicio stetit: quæritur an recte sistatur? Et respondet Ulp. non recte sisti, quia aliter de servo, quam de libero homine vindicta sumitur. Igitur quia etiam post litem contestatam novum beneficium, seu privilegium superveniens mutat pristinum statum rei. Augetur hæc difficultas *ex l. 1. §. 1. ff. de pœnis*, ubi docetur, quod si servus crimen commiserit, deinde libertatem consequatur, eam pœnam sustinere debet, quam sustineret, si damnatus esset cum deliquit. Pro hujus difficultatis solutione duo præmittenda sunt. Primum, veteres in vindicandis delictis, sumendisque suppliciis, hominum dignitatem, statumque & conditionem præ oculis habuisse, & acrius, atque severius in plebejos, quam in nobiles, & cives Romanos animadverti statuisse, *l. capitalium 28. §. ult. ff. de pœnis*, *c. nobilis 15. 2. q. 4. l. 8. tit. 3. p. 7. Que mas cruamente deve ser escarpentado el hombre vil, que el fidalgo*. Venuste cecinit Prudentius de Romano Martyre:

Persona quæque competenter plectitur,
Magnique refert vilis, an sit nobilis;
Gradu reorum forma tormentis datur.

Cujus discriminis passim in utroque jure exempla cernuntur, *in l. 1. §. fin. ff. ad leg. Corn. de falsis*, *leg. 1. l. in servorum 10. leg. aut facta 16. §. persona 3. leg. c. 28. §. fin. lege si quis aliud 38. §. qui abortionis*, & *§. qui instrumenta 9. ff. de pœnis*, *leg. ult. de sepulch. violat.* lege *1. §. quamquam 3. ff. de abigeis*, *l. 1. ff. de furib. balnear. l. 1. §. 1. & 2. ff. de effract. l. stellionat. §. penult. ff. de crimine stel. l. honor 5. C. de pœnis*, *l. 2. C. ut nemo privatus*, *l. 3. §. pen. ff. ad l. Cornel. de sicar. juncta l. hoc 11. §. penult. ff. de accusat. l. sacrilegii 6. ff. ad l. Jul. pecul.* Paulus *l. 5. sent. tit. 8. §. 1. & tit. 20. §. 2. & fin. & l. 1. tit. 23. §. 11.* Ulpianus *tit. de offic. Proconsulis*, & *de beneficiis* apud Licinium Rufinum, *c. pastoralis 28. in prine. de offic. del. c. 1. de purg. canonic.* notarunt Fornerius *l. 4. rer. quotid. c. 1.* Vissembachius *disp. 1. n. 14.* Tiraquel. *de pœnit. caus. 31.* Nec hæc pœnarum varietas pro diversitate conditionis rei plectendi aliena est a ratione, nam homines honestioris conditionis animi potius dolore, quam corporis cruciatu pœnam æstimantes, leviori coercitione ad emendationem egent: humiliorum autem, hoc est, vilioris, & servilis conditionis hominum ingenia plerumque in pravum detorta, & ingenui pudoris ut plurimum expertia, asperiora remedia desiderant; & prudens Legislator in sanciendis pœnis Medico similis est, quia ut ait Plinius *l. 8. ep. ult. ad Maximum*, quamquam in adversa valetudine nihil servi, & liberi differant, mitius tamen liberos, clementiusque tractat: unde propriæ fuerunt quædam servorum pœnæ, veluti crux, furca, compedes, verbera, quibus uti nefas erat in liberos homines, *d. l. 5. ff. si ex noxali*, *lib. consensu 8. §. 1. C. de repub.* Jul. Pollux *l. 3. onomast. c. 8.* Svetonius *in Galba*, *c. 9.* ibi: *Et tutorem, cui substitutus erat, veneno necasset, cruce affeci, implorantique leges, & civem Romanum se testificanti, quasi solatio, & honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque prater ceteras altiorem, & dealbatam statui crucem jussit.* Cicero *act. ultim. in Verrem*. Unde ex quibus causis liberi homines fustibus cædebantur, ex eisdem servos flagris cæsos legimus, *l. ult. ff. de injuriis*, *l. 4. ff. de incendio*, *ruina & naufr.*, *l. levia 6. ff. de accusat. l. 1. §. impuberi ff. ad Sylan. l. servorum*, *ff. de penis*. Hinc servilia verbera *in lib. metallum 12. de jure fisci*, verberonesque pro servis legimus *in l. cum servum 5. C. de servis fugitiv. l. unic. C. de emulieribus quæ se propriis servis*; quam verborum differentiam fuse illustrant Gothofredus *in dict. lib. metallum 12.* P. Faber *l. 2. semestr. c. 5, 6. & 7.* Solorzanus *de crimine parricidii l. 1. c. 10.* Brissonius *l. 3. select. c. 9.* Lipsius *de cruce l. 2. c. 3.* Baronius *annal. anno 34.* Ramirex de Prado *in Pentecost. c. 37.* Torrentius *in notis ad Horatium*, *l. 13. satyr. 3. v. 119.* Olualdus plures referens *l. 2. comm. Donelli*, *cap. 9. litt. T.* Grethlerus *de cruce l. 1. c. 8.* Hurtado *de martyrio*, *resol. 35. 9. 13. digress. 2.* Mendoza *l. 2. Conc. Iliber. cap. 12.* Gibalinus *de claus. reg. disquis. 2. c. 4. §. 7.* Ambianus *ad Treutl. in Scorpiaco*, *cap. 4. observ. 1.* D. Joannes Ramos *l. 3. de pœna parricidii*; licet postea leges Porcia, & Valeria civium Romanorum tergo consuluissent, prohibentes Magistratibus in cives Romanos verberibus, aut ultimo supplicio animadvertere; eoque pertinent lex *2. §. evasi*, *ff. de origine jur.* lex *leg. 7. ff. ad leg. Jul. de vi publica*, & illa D. Pauli proquiritatio; *Ego civis Romanus sum*; quæ refertur *actuum Apost. c. 23.*

7 Prosequitur litterpretatio.

Secundo sciendum est, quod quoties de delicto quæritur, eam illud perperantem pœnam subire debere, quam pati poterat tempore quo delictum admisit, non eo quo sententia profertur, *l. 1. ff. de pœnis*, quam ad praxim plenissime exagitat Carleval *de jud. l. 1. tit. 1. disp. 2. n. 618. & 924. l. 4. §. 5. de re milit. l. 9. §. 4. de pœnis*, *l. 6. de jud. l. 1. §. 2. ff. si quis tut. l. 1. §. 5. ad Sylla. l. 4. §. fin. de q. l. 29. de statu lib. l. 27. §. 10. ad leg. Jul. de adult. l. 2. ff. de effractoribus*; licet contrarium suaderi videatur *ex l. mores 9. §. sed utrum*, *ff. de pœnis*, *l. 2. §. 2. ff. si is qui testamento liber*, *l. statuliberi 29. ff. de statulib. l. 2. ff. de effract. l. si postulaverit 2. §. sed etsi 10. ff. ad leg. Jul. de adult. l. statuliber 14. ff. de q.* sed in earum expositione immorari nec licet, nec liber. Quibus animadversis pro solutione supra adductæ difficultatis varia adducunt Nicolaus Genoa *in conciliat. legum*, *pag. 10.* Pacius *cent. 1. q. 74.* Quibus omissis dicendum est, quod licet beneficium libertatis superveniens non mutet conditionem quoad pœnam, *ex d. l. ff. de pœnis*: tamen hæsitari non potest, actorem probare debere servum in servitute esse tempore, quo promissum fuit illum judicio sistere; item judicem aliquantulum indulgere libertati: quare recte asseritur *in d. l. 5.* post manumissionem in eadem causa non sistere. Et licet ad irrogandam pœnam in eadem causa sistatur: tamen sistere non videtur, argumento legis *1. §. final. ff. eod. tit.* facit Plinius *l. 8. ep. ult.* Prosequuntur Faber *in rationali ad ipsum textum*, Cujacius *l. 10. observ. c. 22.* Duarenus *l. 1. de pœnis*, *c. 2.* Faber *ibi*, Pacius *centur. 1. q. 74.*

Deinde superiori assertioni obstat textus *in l. qui cum uno 4. §. reus*, *ff. de re milit.* ubi asserit Menander, paganum post delictum perpetratum nomen militiæ dantem capitali pœna esse puniendum: non tamen remittendum esse judici, ubi reus postulatus est; sed accedente causa militiæ audiendum esse, & requisitum adnotandum. Ex quo textu apparet, privilegium militiæ superveniens postquam paganus reus postulatus fuit, illi prodesse, & coram novo judice illum esse damnandum. Augetur hæc difficultas ex eo, nam plurimum interesit, si damnatur quis ut paganus, aut miles: miles enim neque flagris, aut flagellis cæditur, sed tantum vite a centuronibus percutitur, *l. milites 14. §. 6. ff. de re milit.* Juvenalis *sat. 8.*

Nodosam frangebat vertice vitem.

8 Intelligitur l. qui cum uno, §. reus ff. de re milit.

Non autem hæc vitis verberatio omnibus militibus communis erat, sed propria illorum, qui cives Romani erant: alii namque scelera sua flagris, & virgis luebant. Livius *l. 17.* ibi: *Qui militem extra ordinem deprehendit, si Romanus est, vitibus; si externus, fustibus cædit.* Petrus Crinitus *de honesta disciplina l. 22.* Alex. ab Alex. *l. 4. dier. genial. c. 10.* Cæl. Rhodigin. *l. 26. c. ult.* notarunt Pitheus *l. 2. adversar. c. 19.* Lipsius *de milit. R. l. 5. c. 18.* Petrus Faber *l. 3. semestr. c. 17.* & *l. 3. agonist. c. 17.* Cujacius *l. 21. observ. c. 10.* Marcel. Donatus *ad Tacitum l. 3. c. 25.* Nec etiam ob militiæ dignitatem torqueri valebant, *l. 3. §. 2. ff. de re milit. l. militis*, *Cod. de q.* nisi exauctoratione præcedente, *l. proditores*, *ff. de re milit.* Unde *in d. §. reus*, propter militiam reus postulatus, ut miles a judice militari puniatur, magnum privilegium assequitur, etiam post litem contestatam coram alio judice. Pro hujus textus solutione Vega in præsenti affirmat, in eo textu nullam causam fuisse coeptam coram alio judice: sed tantum militem reum postulatum fuisse coram judice militari. Sed hæc solutio aperte convincitur ex illis verbis, *Reus postulatus*: ex quibus cognoscitur, jam coram judice pagano accusatum fuisse. P. Barbosa *in d. l. 7. n. 166. ff. de judic.* affirmat *in d. §. reus*, paganum reum accusatum militiæ nomen voluntarie dantem, ex eo quod militiæ se obtulit, postquam reus capitalis postulatus fuit, capite puniendum esse a judice militari, *d. l. qui cum uno*, *§. ad bestias*, *l. fin. ff. de re milit.* unde cum propter novum delictum capite puniatur, ideo non remittitur ad priorem judicem, coram quo reus capitalis postulatus erat, sed potius coram judice militari, audita militiæ causa capite punitur.

9 Exponitur l. qui autem 12 ff. si quis caut.

Rursus præsenti decisioni opponitur textus *in l. qui autem 12. ff. si quis cautionibus*, in illis verbis: *Qui autem novo privilegio utitur, non vidatur in eadem causa stisti*. Ex quibus constat, etiam post litem contestatam privilegium superveniens prodesse eo, ut judicium vitetur. Pro cujus textus interpretatione affirmat Donellus *l. 17. comm. c. 18.* textum illum accipi posse eo casu quo actor patitur, ut reus utatur novo privilegio, etiam post litis contestationem obtento. Sed hæc solutio nec verbis, nec menti IC. Pauli convenit: quare ea omissa, placet alia solutio ipsius Donelli, quam sequitur Carleval *de jud. l. 1. tit. 1. disp. 2. q. 6. sect. 7. nu. 642.* asserit enim Donellus, Paulum *in d. l. qui autem*, exaudiendum esse eo casu, quo Princeps specialiter privilegium concessit, etiam quoad causam cæptam: tunc enim prodesit reo etiam post litis contestationem, ut ampliationibus pluribus adductis docet Carleval *ubi proxime*.

CAPUT FINALE.

a Idem.

Licet ratione *b* delicti seu *c* contractus, aut domicilii, seu *d* rei de qua contra possessorem causa moveretur, quibus forum regulariter quis sortitur, Episcopus vester apud Sedem Apostolicam conventus non fuerit: quia tamen omnium Ecclesiarum mater est eadem, *e* & magistra, rite compelli potuit; ut ibi suis adversariis responderet, nisi pro alia justa, & necessaria causa venisset, quam si tunc allegasset, jus revocandi domum salvum fuisset eidem.

NOTÆ.

1 2 (*Dem.*) Gregorius IX. videlicet: cui tamen ipse refcribit in præsenti, non constat.

b (*Delicti.*) De foro ratione delicti plura adduximus *in c. postulasti 14. hoc tit.*

2 c (*Contractus.*) *Cap. Romana*, *§. contrahentes*, *hoc tit. in 6.* prosequuntur casus, in quibus ratione contractus fortitur quis forum, vel non, post Balboam, & Vegam *in præs.* Bajo-Arroyo *in repetit. ad hunc textum*, sute Carleval. *de judiciis l. 1. tit. 1. q. 4.* & nos aliqua adduximus *in c. dilecti*, *hoc tit.*

d (*Rei.*) Quando fortiatur forum ratione rei, exposui *in c. sane 3. hoc tit.*

3 e (*Eadem & magistra.*) Ecclesia tantum Romana hoc elogio gaudet, *c. 2. de summa Trin. c. antiqua 23. de privil.* Gregor. VII. *l. 8. ep. 21.* Alex. III. *in epist. ad Upsalensem Episcopum*, Hincmarus *opusc. 56. Cap. c. 45.* Carnotensis *ep. 48.* variis PP. testimoniis probant Baronius, & Theophil. Raynaud. *in Corona Aurea onomastici Pontificii*, *verbo Mater*, Coriolanus *in Summa Const. prælud. 9. corollario 2.* P. Ant. Perez *in Pont. fidei*, *volum. de R. Pontifice*, *c. 3.* Et licet *in l. decernimus 16. C. de sacros. Eccles.* de Ecclesia Constantinopolitana hæc verba referantur; *Ecclesia Constantinopolitana Christianorum orthodoxa*, *religionis omnium mater prædicatur*, exaudienda sunt de Oriente, ut sensus sit, Ecclesiam Constantinopolitanam esse matrem omnium Christianorum Orientis: quo modo accipiendi sunt textus *in l. lex 24. C. eod. tit. c. Constantinopolitana*, *c. renovantes*, *c. antiqua*, *de privileg.* post Baronium, Bellarminum, & alios docent Barbosa *in d. l. decernimus*, *n. 5. & de potest. Episc. p. 1. tit. 3. c. 3. n. 5. & 6.* alia pro ipsius textus illustratione adducit Præceptor meus D. D. Franc. Ramos *in memor. pro Episc. Lusit. propos. 1. §. 1. n. 32.* Nec obstat D. Clemens *t. 6. constit. c. 14.* ibi: *Scripsimus vobis hanc Catholicam differentiam ad corroborandum vos, quibus Episcopatus universalis concreditus est.* Quibus verbis probare videtur, Episcopis esse concreditum Episcopatum universalem, quasi unusquisque Episcopus sit œcumenicus, & universalis: aut quasi omnes simul Episcopatum teneant universalem, & propter talem Episcopatum omnium communem & universalem, nullus sit universalis, qui ceteris omnibus præsit. Nam respondetur, sensum Clementis esse, universalem Episcopatum Episcopis esse commissum, scilicet per partes; idest suam unicuique eorum partem Episcopatus universalis, pro qua ita laborare, & ita præsidere debent, ut suus in ea labor ad omnes mundi Ecclesias, tamquam ad membra unius corporis pertineat, juxta Apostolicam illam humani corporis analogiam. Sic intellexit Eleutherius Papa cum Gallicanis Episcopis & ita rescribit: " Hujus rei causa universalis a Christo commissa est Ecclesia, ut pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis. " Auctores vero centuriarum, *in 2. cent.* quomodo, inquiunt Sedes Apostolica primatum obtinebit, si hoc verum est? Et repugnare sibi hoc loco Pontificem existimant, cum minime repugnet, si accipiatur ut accipimus, & explicat Turrianus *l. 6. explan. Clem. c. 14.* Conducit optimus Cypriani locus *in l. de un. eccles.* ibi: *Episcopatus*, inquit, *unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*, hic est Episcopatus universalis, cujus singulæ partes, id est singulæ partes, singulis Episcopis in solidum commissæ sunt: in solidum vero dixit, quia ut idem *l. 1. epist. 3. ad Cornelium*, scripsit: " Singulis pastoribus portio gregis adscripta est, quam regat unusquisque, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; ipse vero Episcopatus universalis non sic unicuique in solidum commissum est, sed ex parte congruit cum his illud Actuum Apost. Attendite igitur vobis, & universo gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit proprio Sanguine. Illud enim, in quo posuit vos significat proprium cujusque gregem, similiter atque illud apud Petrum; Pascite qui in vobis est, gregem Christi, idest unusquisque suum. Illud vero, Regere Ecclesiam Dei, ad universalem Ecclesiam pertinet, & sicut scriptum est, sanctificare. " Ex quo etiam sit, ut unusquisque sit universalis Episcopus, cui universalis Episcopatus pars mandata est; ita ut qui nomen universalis Episcopi uni tribuat, doctrinam Apostolicam non neget, quia primatus ipsius universalis Episcopatus penes Pontificem tantum est. Unde male titulum hunc Universalis, proprium R. Pontificis increpat Cujacius *in præsenti*, si ipse est, & non aliquis depravator commentariorum ejus, in hoc volumine, cum opus posthumum sit, ut merito suspicatur Grethlerus *in animad. ad notas Junii in Tertul. c. 9.*

COMMENTARIUM.

4 Conclusio refertur, & probatur.

EX hac decretali sequens communiter deducitur disputanda assertio: *Quilibet clericus Romæ degens, ibi conveniri potest, nisi ut Legatus, vel ex simili casu in ea civitate moretur.* Probant eam textus *in l. 2. §. omnes*, *l. si quis 8. l. non aliis 24. ff. de judic. l. necnon 28. §. si cum 4. ff. ex quibus causis major l. is qui*, *ff. de legation. l. eos*, *ff. de vacat. muner. l. sed & reprobari 7. §. fin. ff. de excusat. tut. l. 2. C. de muner. in quo loco*, *l. 10. c. 3. iuncta gloss. de prebend. in 6. c. ult. de dilat.* Consonant lex *4. & 5. tit. 3. partit. 3.* Illustrant ultra congestos a Balboa, Barbosa, Vega, Keling, Garanna, Bajo-Arroyo, & Fermosino *in præsenti*, Paz *in l. 7. styl. schol. 1. n. 19.* Covar. *pract. q. 5. n. 1.* Donellus *l. 17. comment. 23.* Cujac. *in hoc textu*, & *ad tit. C. de servis export.* P. Greg. *l. 5. partit. cit. 1. c. 6.* Hunnius *in Encyclop. p. 2. tit. 9.* Alb. Gentilis *de legat. c. 16.* Amorinus, Faber, & P. Barbosa *in d. l. 2. §. omnes*, *l. si quis 8. ff. de judiciis*.

5 Impugnatur præsumpta assertio.

Quæ assertio principiis juris adversari videtur; nam nemo secundum juris regulas debet conveniri, nisi in loco sibi forum sortitur aliqua ex causa ex recensitis a Gregorio in præsenti: sed Romæ existens non ideo illic forum sortitur: ergo ibi conveniri non poterit. Probatur minor, quia licet olim omnes in orbe Romano existentes, cives Romani essent, ex constitutione Antonini *in l. in orbe*, *ff. de statu hominum*, quam varie accipiunt Antaya *in l. 1. C. de feudis limitrophis*, *lib. 10.* Donellus *lib. 2. comment. c. 16.* Olanus *lib. 5. Paralip. c. 10.* D. Joseph de Rete *lib. 8. opusc. c.* Valenzuela *to. 2. consil. 20.* D. Joannes de Larrea *differt. 9. Granar.* ad quam constitutionem respexit Rutil. Numant. *lib. 1. itiner.*

Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit invictis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, quod prius orbis erat.

Unde communis patria Roma dicebatur, *l. Romæ*, *ff. ad municip. l. eos*, *ff. de vocat. muner. l. 1. C. de muner. & in quo loco*, *lib. 10. l. 11. C. de Prætor. & Quæst. l. 5. C. de metall. in Theodos. l. 6. §. 11. ff. de excusat. tutor. novel. 78.* Seneca *in ep. ad Helviam*, *cap. 6.* ibi: *Ab hac civitate discede, quæ velut communis patria potest dici.* Plinius *lib. 3. cap. 5.* ibi: *Breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.* Cassiodorus *l. 11. ep. 2.* ibi: *Quæ licet generalis mundo sit prælata.* Claudianus *in 3. panerg. Stilichonis*.

Hæc est in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris non domina ritu: civesque vocavit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

Prudentius *lib. 2. contra Symmachum*:

Vivitur omnigenis in partibus haud secus, ac si
Cives congenitos concludat manibus unis
Urbs patria, atque omnes lare contineamur avito.

Livius *l. 3.* ibi: *Dissolvi licentiam, militandi morem, nec pro communi jam patria Romam esse.* Plura adducunt Suvarus *ad Sinodium l. t. ep. 6. & ep. 45.* Jurctus *in notis ad Symmachum l. 5. ep. 94.* Baronius *anno 446.* Roderic. Caro *l. 3. hist. Hispal. c. 40.* Gothofredus *in d. l. 33. ff. ad municip.* Cujac. *lib. 24. qq. Papin. in l. 42. de judic. & l. responf. Papin. in l. 9. de vocat. muner.* Aldrete *l. 1. orig. ling. Castell. c. 4.* Solorzanus *t. 1. l. 2. de jure Indiar. c. 21. n. 23.* Valenz. *consil. 200. ex n. 8.* quare relegatus a patria sua, non poterat Romæ commorari, etiamsi id nominatim non esset adiectum; quia videlicet Roma erat communis patria, *l. relegatorum 7. §. constitutum*, *l. relegatus 19. ff. de interdict. & relig. l. si cum dotem*, *§. si patri*, *ff. solut. matr. l. ult. C. si servus export.* ubi notavit Cujac. Brissonius *l. 3. select. c. 6.* Tamen postquam Romanum Imperium in varias gentes translatum fuit, juxta ea quæ adduxi *in c. venerabilem de elect.* & ipsa urbs Romana ex donatione Constantini ad Ecclesiam Romanam spectat, *cap. Constantinus 96. dist. c. fundamentum 17. §. nunc autem*, *de elect. in 6.* late probant Beatius Epon. *tr. de jurisdict. Eccles.* Cohelius *in notis Cardin. congreg. 21. per tot.* Martha *de jurisdict. p. 1. c. 3. & 31.* exoleviti illa patria communis, nec alii quam Romæ nati cives Romani dici possunt, ut Cujacius in præsenti probat. Igitur non est ratio, quare qui Romæ reperitur, ibi conveniri possit. Secundo etiam ea pars præsentis assertionis, ubi docetur, Legatum, vel similem jus revocandi domum habentem, non posse Romæ conveniri, difficilis redditur ex eo, nam Legati conveniri in ea civitate, ubi legationis officio funguntur, valent, si dies actionis elabitur, *l. sed si restituatur 28. ff. de judic.* si ipsi agant, coguntur mutuis petitionibus respondere, *l. 2. §. sed si agant*, *ff. de judic.* adium nomine tenetur cautionem damni infecti præstare, *d. l. sed & si restituatur*, *3. adium*. Igitur indistincte verum non est, Legatum habere jus revocandi domum, nec in civitate, ubi ut Legatus moratur, conveniri posse.

6 Traditur ratio decidendi.

His difficultatibus minime obstantibus vera est præsens Gregorii decisio. Cujus ratio quoad primam ejus partem, ubi statuitur, eum qui Romæ reperitur, posse ibi conveniri, quamvis illic non contraxerit, aut alio modo forum sortitus sit, provenit ex eo: nam cum quilibet conveniri possit in loco domicilii, seu patria propria, ut docet Balboa in præsenti, & Romana civitas communis patria dicatur, juxta supra adducta, ideo Romæ degens, licet ibi non contraxerit, potest illic con-

conveniri ; & cum quælibet Curia ſupremi Principis dicatur patria communis reſpectu ſubditorum, in ea commorantes, licet alias ibi non contraxerint, in ea conveniri valent, *l. 4. & 5. tit. 3. p. 3.* quare Epiſcopus in præſenti ſpecie, qui Romæ degebat, juſte ab adverſario conveniebatur: nam reſpectu eccleſiaſticarum perſonarum Curia Pontificis, eſt patria communis, ſicut Curia Principis ſæcularis reſpectu laicorum: docent Balboa, & Fermoſinus *in præſenti*. Ratione etiam non deſtituitur ſecunda pars hujus deciſionis, ubi docetur, hucuſque tradita non procedere in illis perſonis, quæ jus habent revocandi domum, ut Legati pendente legationis officio, qui teſtimonii dicendi, aut judicandi cauſa, vel qui ut appellationem proſequerentur, aut ut tutelæ rationes redderent, illuc pervenerunt, de quibus exaudienda eſt lex 7. ſtyli, in illis verbis; " Si alguno debe deuda a otro, y eſte deudor es fallados en caſa " del Rey, pourque vive, y en caſa del Rey, ò que anda, " y en otra manera qualquier: y a quel que ha el deudor ſo" bre el gelo demanda ante los Alcades de el Rey, y el deu" dor alega ſu fuero, que el embiea à el, los Alcaldes del " Rey debenlo hazer, è debenle poner plazò, a que parezca " ante el Alcalde del lugar, de fuero donde es que cumpla " de fuero, è de derecho al querelloſo. " Ubi notavit Paz *ſchol. 1.* Procedit etiam in his qui evocantur a Principe per ſacram evocationem, cujus evocationis mentio extat *in l. 1. C. ut omnes judices, l. ult. C. de dignit. l. 12.* & ejus forma concipitur a Caſſiodoro *l. 7. var. ep. 34.* his verbis: Non dubitamus ultronea grate ſuſcipi, quæ in locum muneris ſolent poſtulata conferri, quia Domini recordatio concedit ſemper augmenta, nec poſſunt eſſe principis gratificationis vacua judicia: quapropter ad comitatum noſtrum juſſis te præſentibus evocamus, ut non mediocri gaudio perfruaris; & ideo otii delectatione poſtpoſita, ad illam diem ad urbem illam devenire propera, ut & tibi aſpectum noſtrum gratum fuiſſe ſe judicemus, cum te feſtinaſſe cognoſcemus. " Iſti enim non inſtructi, ut ab actione ſe defendant, accedunt, ſed negotii urgentis tantum cauſa; unde iniquum eſt eos aliis implicare litibus.

7 Diſſolvuntur difficultates.

Nec obſtant difficultates ſupra adductæ, nam licet controverſum ſit apud interpretes, poſt translationem imperii, & Conſtant. donationem, utrum hodie Roma communis patria dici poſſit, exiſtimo tamen diſcrimen eſſe conſtituendum inter perſonas eccleſiaſticas ad forum eccleſiaſticum pertinentes, laicoſque in terris Eccleſiæ habitantes; & inter laicos ſub Principum ſæcularium ditionibus commorantes. Quoad perſonas eccleſiaſticas, & laicos in terris Eccleſiæ degentes, credo Romam, ut Curiam proprii Principis, Patriam communem eſſe: quoad ceteros vero laicos, proprii principis Curiam patriam communem dici, & in ea poſſe conveniri, dummodo alias non habeant jus revocandi domum. Illud omittendum non duxi, Romam etiam ſacram urbem vocari *in l. 3. C. Theod. de can. fr. urb. in l. 2. C. de nautico fœnore*: venerabilem *in l. ult. in Theod. de navicul.* æternam *in l. 3. C. Theod. de calc. coctor.* & apud Symmachum *l. 10. ep. 34.* ſacratiſſimi nominis *in l. fin. C. de honorator. vehiculis*. Illuſtrant Pancirola *l. 1. var. c. 2.* Bulengerus *l. 1. de Imp. c. 2.* Nec ſecunda difficultas adverſatur, pro cujus ſolutione ſciendum eſt Legatos, ſive ex provincia, ſive ex aliqua civitate ad expedienda negotia ſibi commiſſa Romam pervenientes, legationiſque officio fungentes, ex geſtis ante legationem conventos non teneri reſpondere, ſed jus revocandi domum habere, ne a legationis munere ſibi injuncto, cui enixe incumbere debent, avocentur, *d. l. 2. §. Legatis, d. l. non aliàs 24. l. 7. ff. qui ſatisdare, l. 3. l. penult. ff. de legationib.* & ſi Legatus ex geſtis ante legationem conveniatur in ea cauſa eſt, ut non poſſit judicis auctoritatem contemnere, quin imo in jus vocatus debet comparere, & ante litis conteſtationem privilegium revocandi domum proponere, ut hoc modo judicis obtemperet præcepto, & ſimul privilegio legationis fruatur, *l. ult. C. de except. l. 2. & 5. ff. ſi in jus vocatus*. Ceterum hoc privilegium ſolummodo conceditur, quando ex negotiis ante legationem geſtis Legati conveniuntur; atque ideo ſi dum in Legatione occupantur, contraxerint, vel dominium alicujus rei nanciſcatur, ejus rei, ſeu contractus ratione judicium ſuſcipere coguntur, ne aliter ſub prætextu legationis detur occaſio, ut qui cum ipſis contraxerunt, fraudentur, *l. cum furioſus, §. ult. de jud. l. non diſtinguemus, §. item ſi quis Romæ, ff. de recep. arbiter. l. quod ſi minor 24. ff. de minor. l. ſi mulier 11. ff. ad Vellei.* Et ſi conſtituat id quod in legatione debitum contraxit ſe ſoluturum, conveniri poteſt, ſecus ſi conſtituat quod antea debebat, *l. ſi quis in legatione, ff. de jud. l. quid quod, ff. de donat.* nec contrarium probat textus *in l. eum, qui, §. 1. ff. de conſt. pecun.* Nam omiſſis ſolutionibus traditis a Cujac. *l. 3. qq. Pap. in l. cum furioſus 39. ff. hoc tit. & in lege 2. ff. eodem tit.* Genoa *in conſilium. legum, pag. 103. in parvis*, dicendum eſt cum Donello *l. 17. comm. c. 14.* ea verba *convenire debere*, accipienda eſſe in provinciis, non vero Romæ, ut in caſu ſequenti, cum promiſit in provincia ſe Romæ ſoluturum, *l. 3. ff. de legation.* Sed quamvis Legatus ex contractu in legatione celebrato conveniri poſſit; ſi tamen hereditatem agnoverit, & per ejus additionem cum legatariis, & creditoribus hereditariis quaſi contraxiſſe videatur, *§. heres, Inſtit. de oblig. quæ ex quaſi contractu*, non ſtatim onera hereditaria ſuſtinebit, ne tot actiones, quæ ex multitudine negotiorum, quibus per additionem implicatur, ſuſcipere cogatur, ut muneri ſibi injuncto poſſit ſatisfacere, cui intereſſe debet; tamen Legatus etiam dum in legatione exiſtit, hereditariis creditoribus, & legatariis debet cavere, quod niſi fecerit, in poſſeſſionem rerum hereditariarum mittentur, ut defuncti voluntas adimpleatur, ſimulque creditoribus, & legatariis conſulatur, *l. ſi legationis 25. digeſt. de judiciis, l. 5. §. 1. digeſt. ut in poſſeſſionem* ipſe etiam Legatus heres inſtitutus, & rogatus reſtituere hereditatem, cogi poteſt eam adire, quia levis occupatio hæc eſt, *d. l. ſed & ſi reſtituantur 28. l. ſi Legatus 30. ff. ad Trebel.* non tamen reſtituendo hereditatem transfert hoc privilegium in fieri commiſſarium, quia ille ſtatim conveniri poterit, ut docet Cujac. *ad ff. in d. l. 28. §. legati*. Ceſſat etiam hoc privilegium revocandi domum, quando Legatus in legatione delictum perpetravit, *l. non aliàs, §. 1. ff. de jud.* quia qui delinquit, ſicut qui contrahit; ratione delicti forum ſortitur. Etiam Legati pendente legatione poſſunt conveniri in caſibus ſupra enumeratis, ob ſpeciales rationes, quas adducunt Donellus *in d. c. 14.* Balboa *in præſenti*, Ant. Faber *in d. l. 2. §. ſed ſi agant, dict. l. 28. §. adium*, Bronchorſt. *cent. 1. aſſert. 68.* Gcutilis *de Legat. c. 16.* Vela *to. 2. diſſert. 39.* Et circa hoc privilegium Legatis competens obſervandi ſunt textus *in l. 2. ff. qui ſatisd. l. non diſtinguemus 32. §. quæſitum, ff. de arbitris, l. 5. §. 1. de conſtit. pecun. lib. 3. 12. & penult. ff. de legation. l. ſi quis 8. l. non aliàs 24. §. 1. l. cum furioſus 39. §. 1. l. ſi uxor 42. l. duo, §. 3. ff. de jud. l. 3. Legatus 30. ff. ad Trebel. l. 5. §. 1. ff. ut in poſſeſſ. legat. l. nemon 28. §. 4. ff. ex quib. cauſ. major.*

TITULUS III.

De Libelli oblatione.

CAPUT PRIMUM.

Ex Concilio apud Sanctum a *Medardum habito.*

IGnarus Epiſcopus dixit: Habetis libellum reclamationis, vel poſtulationis? Illi reſponderunt ſe præ manibus nullum habere libellum. Ignarus Epiſcopus dixit: Oportet vos ſecundum *c* eccleſiaſticam auctoritatem reclamationem veſtram libelli ſerie declarare, eamque veſtris manibus roboratam Synodo porrigere, ut tunc vobis canonice valeat reſponderi. Et tunc ipſi Fratres libellum conſcribentes porrexerunt.

NOTÆ.

a *Sanctum Medardum*. Ita etiam legitur apud Burchardum *l. 2. Decret. c. 192.* Ivonem *part. 6. Decreti, c. 69.* & in prima collectione, *ſub hoc tit. c. unic.* ex quibus tranſcripſit textum hunc Raymundus; ſed omnes mendoſe. Ut vero littera reſtituatur, & ejus hiſtoria perpendatur, ſciendum eſt, quod an. Domini 853. menſe Aprili in Monaſterio SS. Medardi, & Sebaſtiani, Epiſcopis juxta ſtatuta ſacrorum canonum Synodum celebrare volentibus, annuit Rex Carolus, eiſque ut in urbe Sueſſione convenirent ſuaſit, ubi poſthabitis ſæcularibus curis, ipſe quoque Rex adfuit, ut non ſolum devotione Eccleſiæ ſe filium eſſe oſtenderet, verum etiam, ſi opus eſſet, protectorem regia poteſtate monſtraret. Tradunt, & ejus Conc. acta, canoneſque referunt Flodoardus *l. 3. hiſt. Rhemenſ. c. 11.* Bar. *t. 10. an. 853.* Sirmondus *in c. ipſius Caroli*, idem, & Binius *in notis ad ipſum Concil.* hiſtoriaque ipſius Concilii deſcribitur in Chron. Cameracenſi, *l. 1. c. 43.* verbis ſequentibus, (Hujus etiam diebus honorabilis Præſul Hincmarus, poſt Ebonem depoſitum, ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, anno ſui Epiſcopatus ſeptimo Synodum habuit Comprovincialem apud Sueſſionicam urbem, in monaſterio S. Medardi, cum Vvenilone Senonenſi Archiepiſcopo, Almarico Turonenſi, & hoc Theodorico Cameracenſi Epiſcopo, & multis aliis Epiſcopis, & Abbatibus, reſidente quoque in medio glorioſo Rege Carolo. Ubi quædam neceſſaria Eccleſiæ Dei ſunt pertractata negotia. Ad quam Synodum accedentes quidam Rhemenſis Eccleſiæ Canonici, ac Monachi, clamaverunt ſuſpenſos ſe a prædato Archiepiſcopo ſuo ab adminiſtratione ordinum Eccleſiaſticorum, ad quos ab Ebbone quondam provecti fuerunt. Electi igitur judices utriuſque partis, ideſt Archiepiſcopi, & clamatorum, auditis cauſis, judicaverunt, quod ſi Ebbo Archiepiſcopus in eo ſtatu manens canonice hos fratres ordinaverit, deberent miniſtrare, ſi autem injuſte dejectus, & canonice reſtitutus, poſt ſuam canonicam reſtitutionem eoſdem ordinaverit, ſine ulla quæſtione deberent etiam miniſtrare. Interrogatiſque ordinatoribus Hincmari de Ebbonis depoſitione, & copus

Hincmari ordinatione, ſurgens Theodoricus Cameracenſis Epiſcopus porrexit in conſpectu Principis, & Synodi ſcriptum continens ordinem depoſitionis præfati Ebbonis: tunc ventilatum eſt, qualiter exauctoratus Epiſcopus reſtitui debeat. Et quia idem Ebbo reſtitutus canonice non fuerit, inſuper & ab Apoſtolica Sede, Sergio Papa confirmante dejectionem illius, damnatus extiterit, ut in laica tantummodo communione maneret, ſicque decretum, ut quidquid in ordinationibus eccleſiaſticis Ebbo poſt depoſitionem ſuam egerat, ſecundum traditionem Apoſtolicæ Sedis, præter ſacrum Baptiſma, quod nomine ſanctæ Trinitatis perfectum eſt, irritum haberetur, & ordinati ab eo eccleſiaſticis gradibus privarentur. Tunc unus ex dejectis fratribus libellum proclamationis expoſuit in medio, in quo continebatur, quod ideo ſe ab Ebbone permiſiſſent ordinari, quia viderant ſuffraganeos Rhemenſis Eccleſiæ in unum cum litteris Imperatoris Lotharii conveniſſe, & eumdem Ebbonem reſtituiſſe. Sed & litteras quaſi ex nomine Theodorici, Epiſcopi, & ceterorum ejuſdem diœceſeos Epiſcoporum manibus roboratas oſtenderunt, quibus recitatis, falſiſque comprobatis, juſſi ſunt communione privari, pro eo quod Epiſcopis talia objicere præſumpſiſſent. His ita terminatis, Hincmarus Archiepiſcopus Primatus ſui locum recepit, cujus extant ſcripta plurima, quæ ipſe de Fide Catholica & de conſervando jure catholico conſcripſit. (Congregatis igitur Patribus Concilii, Præſide Hincmaro Archiepiſcopo Rhemenſi, in actione 1. actum eſt de ordinatis ab Ebbone prædeceſſore ipſius Hincmari. Ebbo enim tamquam auctor conſpirationis adverſus Ludovicum Auguſtum, in Synodo apud Theodonis villam habita an. 835. depoſitus fuit, ut narrat Synodi ſeriem referens Flodoardus *ubi ſupra, l. 2. c. 20.* Sed mortuo Ludovico Cathedram recuperavit a Lothario, cum aſſenſu, & ſubſcriptione Epiſcoporum, & in Rhemenſi Eccleſia clericos aliquot ordinavit, quos Hincmarus pro clericis habere nequibat, utpote vitio creatos ab eo, qui legitime reſtitutus in Eccleſia non erat: qua de re actum eſt in prima actione prædicti Concilii Sueſſionenſis, cujus actionis verba refert Baron. *an. 853. n. 3.* ita (Dum quædam eccleſiaſtica, & perneceſſaria negotia in eadem Synodo ventilarentur, & definirentur, venit Sigloardus ſervans locum Archidiaconi Rhemenſis Eccleſiæ, dixitque filios ejuſdem Rhemenſis Eccleſiæ, & Hincmari Archiepiſcopi ſtare pro foribus, ut qui pro ſua neceſſitate in Synodum introduci petebant. Hincmarus Archiepiſcopus dixit: Recita illorum nomina, & audiat Dominus noſter Rex Carolus, & Sacra Synodus illorum conſcripta nomina; & tunc quod juſſum fuerit, in nomine Domini, fiat. Et recitavit Sigloardus, ſervans locum Archidiaconi Rhemenſis Eccleſiæ, hæc nomina: Redoldus, Gislardus, Vvilfridus, Fridebertus ex Canonicis ipſius S. Matris Eccleſiæ; Sigiſmundus ex monaſterio ſancti Theodorici: ex monachis autem monaſterii ſancti Remigii, Nortuinus, Heinradus, Mauringus, Atheus, Teutlandus, Hecenbaldus, Rodulphus, Vvicbertus: quibus juſſu Synodi & Principis introductis, Hincmarus Archiepiſcopus dixit: quæ eſt veſtra petitio fratres? Illi autem reſponderunt: Miſericordiam petimus a veſtra paternitate impendi de miniſtratione ordinum eccleſiaſticorum, ad quos a Domino Ebbone quondam provecti, a veſtra autem auctoritate ſuſpenſi ſumus. Hincmarus Archiepiſcopus dixit; Legum Eccleſiaſticarum conſuetudo, & auctoritas talis eſt, ut in cauſis geſtorum ſemper ſcripturam requirat, adeo ut qui ad ſacrum fontem accedit, ſuum dare nomen præcipiatur; qui ad ſummum ſacerdotium provehitur, decreto manibus omnium roborato eligatur; ordinatus autem, a ſuis ordinatoribus litteras accipere jubeatur; qui etiam ab eccleſiaſtica ſocietate quolibet exceſſu diſcinditur, libellari ſcriptione aut recipitur, aut dejicitur; ſed & qui accuſatur, vel qui excommunicatur, per ſcripturam accuſari, vel reconciliatus commendari jubetur: & ſic in ceteris hujuſmodi tantum ſcriptura depoſcitur, ſicut & B. Gregorius in commonitione ad Joannem defenſorem, ex Romanis legibus ſumens, ſcribit: Sententia quæ ſine ſcriptura profertur, nec nomen ſententiæ habere meretur. Quapropter, fratres, & filii oportet vos ſecundum eccleſiaſticam auctoritatem reclamationem veſtram libelli ſerie allegare, eumque veſtris manibus roboratum Synodo ſacræ porrigere, ut convenienter & canonice vobis valeat reſponderi. Et tunc ipſi fratres libellum conſcribentes, eique ſua manibus ſubſcribentes porrexerunt.) Hactenus PP. Concilii, & licet hanc Synodum poſtea anno 869. damnaſſe Nicolaum Papam, referat Baronius *ubi proxime*, tamen ejus acta inter Concilia approbata reperiuntur.

b *Ignarus*.) Legendum eſt juxta ſupra relata, Hincmarus, qui ex monacho Benedictino monaſterii S. Dionyſii electus fuit Archiepiſcopus Rhemenſis. Edidit varia opera, quæ referunt Bellarminus *de Script. Eccleſ.* Poſſevinus *in Biblioth.*

c *Eccleſiaſticam*.) Quam exponit ipſe *in c. legum, 1. qu. 2.* ubi eſt alia pars hujus textus.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio deducitur & probatur.

EX hoc textu ita communiter repetentes deducunt aſſertionem: *Actor tenetur in ſcriptis libellum porrigere*. Sed perperam, cum inepta ſit quæſtio, an ſcriptura ſit neceſſaria in libello, cum perinde ſit, ac ſi quæras, an in homine, qui dicitur animal rationale, deſideretur neceſſario ratio. Nec Hincmarus exiſtimavit libellum dari aliquem ſine ſcriptura. Concluſio igitur ita deducenda eſt: *Actor debet actionem, ſeu intentionem ſuam in ſcriptis proponere*. Probant eam textus *in c. litteras 3. de dilat. c. induciæ, §. offeratur, 3. q. 3. c. ſignificantibus, de appell. l. edita 3. Cod. de edendo authent. offeratur, Cod. de deliciis conteſt.* Conſonant lex *tit. 2. par. 3.* lex 4. & 41. *tit. 3. part. 5.* lex 4. *ti. 2.* lex 10. *tit. 17. l. 4. recopil.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa, Balboa, Garanna, Keling, & Fermoſino, Corvinus *l. 3. aphoriſm. juris Pontif. tit. 10.* Vultejus *l. 2. de jud. c. 4. n. 20.* Bronchorſt. *cent. 1. q. 28.* Petrus Gregorius *l. 48. ſyntagm. c. 5.* Forcatulus *in tonn, c. 15.* Rigellius *l. 3. inſtit. fori, c. 4.* Parladorius *l. 2. rer. quotidian. c. fin. 5. p. §. 2. n. 2.* Scaccia *l. 1. de jud. c. 50. n. 4.* Bajo-Arroyo *l. 1. praxit, c. 19.* Avendanno *reſponſ. 1. n. 15.* Pichardus *in §. ſic itaque, n. 30. Inſtitut. de actionib.*

Sed in hanc aſſertionem pro dubitandi ratione ita inſurgi valet: Libelli oblatio ſucceſſit in locum editionis actionis, ideo in loco rubricæ *de edendo*, quæ in Pandectis juris civilis proponitur, in hoc volumine Decretalium inſcribitur titulus *de libelli oblatione*, ut jam notavit Donellus *in l. edita, n. 4. Cod. de edendo*. Sed editio actionis jure civili fiebat, aut eam libello complectendo, exprimendoque, aut adverſario ex albo Prætoris indicando, digitoque demonſtrando actionem, qua illum convenire velit, nulla ſcriptura præcedente, *l. 1. §. odore, ff. de edendo*, Donellus, Cujac. & Gilkenius *in dict. l. edita 3.* Revardus *pro tribun. c. 8.* Vultejus *diſput. c. 6.* Pichardus *in rubric. de actionib. n. 4. & ſeq.* Olualdus *l. 23. Donell. c. 4. litt. A.* Igitur & libelli oblatio, ſeu actionis propoſitio in ejus locum ſubrogata, verbo tantum fieri poteſt. Augetur hæc difficultas ex eo, nam plures caſus in jure reperiuntur expreſſi, in quibus abſque ulla ſcriptura judicium formatur, & finitur, ut *in c. ſi quis cum clerico 45. 11. q. 2. Clem. diſpendioſam, de judic. authent. niſi breviorem, Cod. de ſent. ex periculo, Clem. ſæpe, de v. ſ.* Igitur generaliter verum non eſt, actorem in judicio non admitti, niſi actionem, ſeu intentionem ſuam in ſcriptis proponat, libelloque complectatur.

3 Traditur ratio dubitandi.

Hac difficultate minime obſtante vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, libellos varie, diverſimodeque accipi; illis enim non modo preces, & deſideria Principi, Magiſtratibuſque oblata, verum donationes, inſcriptiones rerum familiarium, vel aliarum deſcriptiones, multaque alia continentur, quæ congerunt Lexicographi verbo *Libellus*. Plerumque accipiuntur pro precibus, *l. deprecatio 9. ff. ad leg. Rhodiam, l. libertus 15. ff. de in jus vocand. l. item 15. §. ſi quis libello 29. ff. de injur. l. relegator. 7. §. relegatum, ff. de interdict. & releg. l. quæſitum 5. ff. ad Turpyl. l. ſolent 3. ff. de alien legat. l. & eum 6. digeſt. ad leg. Jul. de vi*; de quibus, & eorum magiſtro late aguat Briſſonius *l. 3. ſelect. c. 4. n. 6.* Etiam accipiuntur libelli pro ſcripturis, ſeu litteris inſtrumentalibus; unde quia in contractu emphyteuſis deſideratur ſcriptura, ipſe contractus libellarius dicitur. Divus Gregorius *l. 2. ep. 1.* ubi de eo contractu agens, ita ait: *Libellario nomine terram ad ſummam unius tremiſſis concede*. Et *l. 8. epiſt. 81. Voluit tertam ſub ſpecie libellorum teneri*. Notavit Cujac. *ad tit. Cod. de jure emphyt.* Et priſcis Eccleſiæ ſæculis fideles lapſi, qui ut admitterentur ad communionem, litteras confeſſorum deferebant, libellatici dicebantur. Divus Cyprianus *de lapſis c. 11. & ep. 51. ad Antonin. c. 4.* plura de eis Baron. *anno 253.* Mendoza *l. 2. Conc. Illiber. c. 9.* Albaſpineus *l. 1. obſerv. c. 21.* Turrianus *l. 2. pro epiſt. Pontif. c. 7.* Accipiuntur etiam libelli pro ſchedulis intimatoriis alicujus rei, *l. falſus 43. §. proinde, ff. de furtis, l. ſi pœnituit 7. ff. de divortiis, leg. ſi Publican. 4. §. de rebus, ff. de Public.*

4 De libelli acceſſionibus.

His & aliis libelli acceptionibus omiſſis, in præſenti libellus accipitur pro ſcriptura ab actore reo porrecta qua completur rem ſibi debitam dari oportere, debendi cauſam continens: dicitur libellus conventionis *in l. ult. Cod. de in jus vocando*; petitionis ſchedula *in novella 123. c. 27.* libellus ſupplex a Theophilo *in §. triplici, Inſtit. de actionib.* Varie definitur ab Interpretibus, ut conſtat ex traditis a Marantha, Mathienzo, Azevedo, & aliis relatis a Pichardo *in manuduct. ad praxim, 1. part. precept. 2. n. 9.* Oſuald. *ad Donell. l. 23. comm. cap. 4.* Montealegre *in praxi, l. 1. c. 11.* Scaccia *de jud. l. 1. cap. 5.* Collerio *in hoc textu*, Vultejo *de judiciis l. 2. c. 4. n. 33.* Et rectius eſſentiam libelli exprimit, quam tradit Cinius *in dict. authent. offeratur*, & ſequuntur Panormit. *in præſenti*, Scaccia *dict. c. 50. n. 1.* ut ſit brevis ſcriptura claram continens actoris intentionem. Dicitur brevis ſcriptura, quia jure communi attento actoris intentio in ſcripturis proponi debet, *c. 2. hoc tit. l. 25. tit. 2. part. 3.* quoniam cum libellus ſucceſſerit in locum editionis actionis, ſicut editio litis futuræ ſpeciem demonſtrabat, ita libellus in ſcriptis propoſitus litem futuram denotat: docet Amator Rodriquez *in examine proceſſus, c. 5. n. 7.* Debet etiam claram continere actoris intentionem, unde libellum obſcurum, & ambiguum, parte etiam non opponente, judicem repellere poſſe, probatur *ex l. 4. tit. 2. l. 4. recopil. lat. 3. part. q. 43. n. 3.* & præcipue in cauſis criminalibus, ut ſi Titius accuſet Sempronium de omnibus maleficiis ab eo perpetratis, ex textu *in l. libellorum, ff. de accuſat.* docent Baldus *in l. unic. n. 21. Cod. de confeſſis*, Bobadilla *l. 5. polit. c. 1. n. 139.* debet enim accuſatio eſſe ſpecialis certi criminis, cum adjectione loci, & temporis, ut reus accuſatus negativam, ſeu ut vulgo dicimus, *coartada*, probare poſſit; alias defenſioni via præcluditur, ut notavit Fab. Clarus *l. 5. ſententi. §. final. verſ. Dixi*.

5 Definitio libelli.

Conſiſtit autem claritas libelli in perſpicua facti narratione, ita ut in eo exprimantur nomina actoris, & rei, *leg. libellorum, ff. de accuſat. c. foras, dict. v. ſ. leg. 40. tit. 2. part. 3.* ut res certa deſignetur, *c. 2. hoc tit.* E contrario dicitur libellus obſcurus variis ex cauſis, ut docet Scaccia *ubi ſupra, n. 18.* Primo ratione ambiguitatis, quando oratio admittit plu-

6 De obſcuritate libelli.

res